

## **Dissertatio medica de thermis / [Carl Rockman].**

### **Contributors**

Rockman, Carl, -1707.  
Roberg, Lars, 1664-1742.  
Uppsala universitet.

### **Publication/Creation**

Upsaliae : [publisher not identified], [1699]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zd4sq5n5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

42600  
16 15.  
Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO MEDICA

DE

# THERMIS,

QUAM

Cum consensu

Ampliff: Facult: Medicæ

Sub PRÆSIDIO

*Clarissimi & Experientissimi*

Doct: LAURENTII ROBERG,

Medic: Theoret: & Pract:

Professoris Ordinarii,

*Publico examini submittit*

S:Æ R:Æ M:ÆTIS

ALUMNUS

CAROLUS ROCKMAN

SVDERMANNUS,

In Auditorio Gustav. majori die XX Maji horis solitis

UPSALIÆ A:o M DC XCIX.

Q. F. R. Q. 2.

DISSERTATIO MEDICA

DE

THE FERMS

42600

QUAM

Cur conlenu

Amphib; Facult; Medicor

restitutio

Chirurgia & Anatomia

1702: LAURENTII ROBERG

Medic; Theoret; & Pract;

Prothetionis Ordinarij

Exordium

Q. F. R. Q. 2.

ALBINO

CAROLUS F. O. L. K. W. A.

1702



In Auctoris Officina scripta die 22. Martij 1702. in  
URBINE AN. MDCCII.

REGII COLLEGII MEDICI STOCKHOLMIENSIS

PRÆSIDI,

*Generosissimo atq; Amplissimo Domino,*

D<sup>o</sup>CT: URBANO HIERNE,

Archiatro Regis & Reginae

Dignissimo.

*Nobilissimo atque Amplissimo*

D<sup>o</sup>CT: JOHANNI MARTINO

ROTHLÖBEN,

Archiatro Regio Celeberrimo.

*Nec non Amplissimo ac Experientissimo*

D<sup>o</sup>CT. LAURENTIO MICRANDRO

Urbis metropolitanæ Physico Meritissimo.

Ut & reliquis

Viris Nobilissimis Experientissimis Dominis,

MEDICINÆ DOCTORIBUS,

ASSESSORIBUS AMPLISSIMIS,

PRACTICIS FELICISSIMIS,

PATRONIS AC PROMOTORIBUS SUIS

omni animi observantiâ maximè colendis,

*Hoc quaecunque ingenii specimen offert, dicat, simulq; se totum  
commendat*

# Hans Kongl: May:ß

Tro-Tienare och Tullnär wid Nyköpings stora Eid-Tull/  
Uthreborne och Högachtad

Herr **D E S R O C K M A N** /

Min Högåhrade Kiäre Fader.

Best jag then lyctan skä på Pindi kallar wara /  
Eber Phœbus ingen künst och idrät mände spara;  
Jag då strax warse blef hwad godt thet med sig har/  
När man bland Lärda Män förnöter sina daars;  
Ty then i theras künst har lust sig låta lära /  
Han kundskap får i alt han nänsin wil begära.  
Är ock slätt intet til / som ei ransatas här /  
Om Himmel/ Haf och Luft / Berg-strefwor/ och hwad mer.  
Hwad torra Jorden gier / när wi then sköta / laga /  
Och hwad ofälligt gagn af Watnet wi här taga /  
Om wi thet märckie grant ; i Theris sköte är  
Fast mera än som of then blotta Jorden här.  
Ty skull' et Medici thes läf så kunnat höja/  
Om the ei hade sedt at Watnet giet et nöje /  
Och huru krafftigt som et Bad för hälsan är /  
Bad / thet hwart kreatur of dagli' bruka lär.  
Om Turcken än i dag / och Rom i forna dagar  
Skrijs / at the wackra Bad them allmänt har behagat ;  
Fördenkul the ock så sin' Badstur thet till bracht /  
At Tempel eller Slätt ei liknas wid thes pracht.  
Hwad jag i forthet nu om Badstur hafwer skrifwit /  
Och om thes råtta bruk / som mig wid handen gifwit  
The lärda gamlas wärck. Min Far-kiär endast är /  
Eben jag til räkna kan the slögder / som jag här  
På Pindo hafwer lärde / ty Farekiär hafwer warit /  
Som giordt / at jag har sådt the saker så ährfarit ;  
Ty önskar jag : O G B D täcks mig then glädjen tee/  
At jag i många daars får Far-kiär sunder see!!!

Min högåhrade Kiäre Faders

Lydtgiste Son

C. ROCKMAN.

**N**equem dissertationis hujus de Thermis inscriptio seducat, præmonero, non hinc de omnis generis mihi, sed vulgaribus solummodo lavationibus sermonem futurum: nam ferinarum seu mineralium & medicatarum balnearum vires dilucidare velle gravius esse meis viribus onus, & aliis relinquendum tibicinibus lubenter agnosco. Primum autem gentium quarundam instituta circa hanc rem, non tam meis quam auctorum, quos sequor, verbis referam; deinde quæ de balnearum in conservanda sanitate efficacia, variè vulgo disputantur, rationibus desumptis ex probatis artis medicæ Scriptoribus, explicare conabor. Verum à Lectore Benevolo duplici nomine ante omnia mihi petenda venia est; tum ut ne propterea quod vulgare sit, statim & indignum Academica ventilatione argumentum hocce judicet, cum etiam in vulgarium horum præpostero usu, afflictæ valetudinis prima initia non rarò lateant; tum ut ne succensere velit, si quid alicubi, quod vel fusius enarrari, vel alio sensu melius dici debuisset, inveniatur, cum in paucas hasce pagellas multa congeri non potuerint, & labi in hisce rebus absque periculo liceat. Initium itaque ab iis faciam, quæ de Balneis in genere dicenda habeo, tum ea, quæ propiora nostro proposito sunt, adjiciam.

2  
Equidem illos, qui de rerum inventoribus indagandis esse solliciti solent, circa balnearum originem non nisi frustraneam & supervacaneam suscepturos operam puto; neque enim facilius determinabitur, quis primus mortalium lationes instituerit, quam quis vel agros colere, vel construere tecta, vel ab æstu ac frigore sese tueri cœperit; cum horum nullum magis vel necessarium, vel conveniens homini sit, quam abluere sordes, vel lassata laboribus corpora molli aquarum fotu reficere. Adeoque facile crediderim, vel inde usque ab inundationibus orbis terrarum, vel antea etiam, si tam altè temporum memoriam repetere libet, lationes mortalibus, & frequenter quidem usurpatas fuisse. Illorum itaque assertionem non sequor, qui barbaras olim dictas Europæ gentes, non nisi postquam à Romanis devictæ fuerunt, unà cum reliquis cultioribus vitæ moribus, lavandi etiam consuetudinem accepisse putant.

Nisi forsan id de magnificis illis publicarum thermarum ædificiis, non tam ad salubritatem vel usum, quam ad delicias & luxum; vel in memoriam & majestatem Principum, vel denique ad occupandum fascinandumque mobile & otiosum vulgus, exstructis institutisque intelligi velint. Quarum splendori, cum Romanarum rerum magnitudinem, ut in aliis rebus, sic præcipuè in thermis cunctarum nationum miracula superasse gloriatur Baccius in suo de Thermis Tractatu lib. 7. cap. 1, sicuti nihil quidquam detraho; ita luxum haud obscure innuunt, quæ idem fatetur: ex magnificis, in thermis Imperatorum titulis patere, eos æternitatem nominis sui tanti operis magnitudine affectasse, vel eundem manifestius detegunt, quæ scribit Seneca epist. 86. *quod quisque pauper sibi videretur ac sordidus, nisi parietes balnearum magnis ac pretiosis orbibus refulsissent; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta fuissent; nisi illis undique operosa, & in pictura modum*  
*variata*

*variata circumlitio prætexta fuisset; nisi vitro condita camera; nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas circumdedisset, in quas multa sudatione corpora exinanita demitterent; nisi aquas argentea epistomia fudissent: Et paulò post: quantum, inquit, statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensa causa; quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? eò deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus. Ut reticeam Neronis luxum, & quæ de Helio gabalo ex Lampridio citantur, nunquam in piscinis lavari solitum, nisi illæ croco aliisq; pretiosis unguentis perfusæ fuissent; vel planè conspersis eo modo ad luxum, parietibus utebantur, ut, dum quis se parieti affricaret, quod facere solebant, ipsis sine ministris perungi liceret. Sed superfluas certè delicias, si quid aliud, pensiles balneæ clarè docent, de quibus Plinius lib. 26. c. 3. ubi Cleophantum Medicum refert inter alia blandimenta, *suspensos lectulos excogitasse, & pensiles balneas, ut horum jactatu, aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret:* quod dum curiosius laudat Baccius, vereor, ne Lectori in veterum inventis admirandis nimius videatur. Si jam mente, inquit, concipias, videre hominem in balneo pensili, vel agitudine debilem, vel voluptuosæ vitæ gratia, cujus dulci tepore ac leni jactatu, & naniis, & dulci concentu tiliarum, somno & quieti indulgeretur, jam nihil poterit excogitari suavius. Sicuti etiam otiosæ plebis Romanæ gratia à Principibus hæc omnia instituta fuisse agnoscit Baccius, dum cap. 12. Per has, inquit, delicias retraherentur à vitiis animi, & otium, quod omnium malorum fomes est, tollebatur, seditiones arcebantur, & omnes populares corruptela. Idemque apertius cap. 7. vidisses tum frequentem civitatem, non secus ac hodie nos solemus sacras ecclesias festis sollennibus, frequentare thermas: alios ad sanitatem tuendam, alios ad oblectamenta tam animi quam*



corporis capienda, pro celebritate illa populi, pro variarum rerum ac ludorum spectaculis, denique pro amœnitate loci deliciosissimi. Unde βαλνεῖας idcirco dictas græca voce existimat D. Augustinus in Confessionibus, quod βαίδει τὰς ἀνίας, id est, quod anxietates tollat.

Sicut itaque, antiquis temporibus ad exercitia Romanis Martius campus sufficebat, ita ad lavationes vicinum Tibur, in quo juvenus post exercitium armorum sudorem pulveremque ablueret. Sed, quibus utebantur, balneola, non nisi angusta fieri & tenebricosa solebant; *Nec enim*, inquit Seneca, *majoribus nostris balneum calidum videbatur, nisi & esset obscurum.* Ita posteaquam spatiosas Thermas palæstris, hoc est, exercitationibus lavationes jungere in Italia cœperunt, paulatimque consuetudo singulis diebus easdem frequentare suscepta fuit, celeriter etiam ad reliquas provincias, quibus Romani imperarunt, mos idem per deductas colonias, & municipia pervenit: magnusq; ubiq; thermarum numerus extrui cœpit; quæ corrudente tandem vasto isto imperio partim civilibus bellis destruebantur, partim etiam posteritate in alios ritus & alia studia conversa, per negligentiam collapsæ fuerunt, manentibus tamen & sic tum alibi, tum in Italia præcipuè, reliquiis in hunc usque diem, non sine omnium stupore, perdurantibus, operumque magnificentiam, tum inestimabilem pulchritudinem ipsa suâ ruinâ docentibus. Multa, inquit Baccius lib. 7. cap. 3. *occurrunt thermarum vestigia in Germania, in Gallia, in Britannia sed longe plura visuntur in Italia in quibus (vidi sæpius) per inscitiam etiam doctos viros obstupescere, alii theatra, alii Labyrinthos, alii memorandas moles alicujus sepulchri jaçtantes.* Et lib. 7. de Thermis Diocletianis scribens, quarum etiam ichnographiam tradit, quam, ni fallor, hinc desumptam, licet quibusdam omissis, suis inseruit de Architectura libris Serlius: *Diocletiana, inquit, therma exactis-*  
*fimo*

*simo ordine atque amplissimo extracta fuerunt, in quarum o-  
pus quadraginta millia Christianorum principem addixisse acce-  
pimus. Et paulò post: Hæ cum integro ferme adificio admi-  
randa permanerent hodie Cartusiensium monasterio sacra à Pio  
quarto Pontifice maximo sub titulo S. Mariae de Angelis magni-  
ficè restaurantur, posito in ipsa Basilica disticho ad perpetuam  
rei memoriam:*

*Quæ fuerant Therma, nunc templum est virginis, auctor  
Est Pius ipse pater, ceditæ delicia.*

Verum ut Thermarum magnificentiam aliis describen-  
dam relinquamus, illa etiam, quæ super luxu immodico cor-  
ruptisque istorum temporum per nimias opes felicitatemque  
moribus, boni viri Seneca, Plinius & Plutarchus conquerun-  
tur, prætereamus, illud hîc solummodo notamus: Romanos  
& ab aliis accepisse hoc institutum, nec nisi ferò admodum,  
utpote paulò ante tempora Augusti Cæsaris, tum maximè flo-  
rente architectura, imitatos esse: ob aquarum præcipuè incom-  
moditatem, quarum in colles, ubi tunc habitarunt Romani,  
difficilis erat nec sine maxima impensa perductio. Huic  
operi igitur ea, qua destinabant amplitudine perficiendo, non  
nisi opibus divitiisque subjugatarum gentium Romam deriva-  
tis, translatoque in Principes imperio sufficiebant. Plinius lib.  
36. cap. 15. *Si quis, inquit, diligentius estimaverit aquarum ab-  
undantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, Euripis, hor-  
tis, suburbanis villis spatioque advenientis extractos arcus,  
montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis  
mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Et Baccius: Roma  
quatuordecim fuerant aqua ductus ex cocto latere ea latitudi-  
ne ac profunditate, ut ferè eques ipso cum equo per eos pos-  
set evadere. Et de Agrippa, loco ante citato, Plinius: Agrip-  
pa, Augusti gener, in adilitate sua aquis aliis corrivatis atq̃  
emendatis & aliis noviter adductis lacus septingentos fecit,  
præterea salientes (fontes) CV, castella CXXX, complura etiam*

*cultu magnifica; operibus iis signa CCC area aut marmorea im-  
posuit, columnas ex marmore CD eaque omnia annuo spatio:  
Quæ sic interpretatur Baccius: per lacus intelligo alveos brevi  
muro, in quibus aqua reciperetur, ut apud nos fontana lava-  
cra, fullonum stagna, jumentorum aquagia & hujusmodi pu-  
blica commoda. Fontes, qui primas & sinceras ex castello fun-  
derent aquas. Castella, certa aqua ductuum receptacula ad mœ-  
nia & in viarum divortiis, ubi aquarum facienda esset distri-  
butio.*

Sicuti autem à Græcis, qui ante horum tempora opibus imperioque florentes, in thermarum tum magnificentia tum luxu nullis aliis modestiores fuerunt, Romani & ædificandi rationem & reliquum morem omnem acceperunt, quod, ut instituta alia taceam, vel ipsa Thermarum, Apodyterii, Laco- nici, Hypocausti aliarumque partium nomina sufficienter in- dicant; ita ad Græcos hunc cum luxu magnoque apparatu ac, ut ita dicam, tumultu lavandi morem ab Asiaticis, nomina- timque Persis, ante hos vastissimum orientis imperium possi- dentibus per contagium quasi emanasse, vel inde liquet, quod Alexander Macedonum rex, cum captâ regiâ Darii balneum ingrederetur, aquarumque ductus & hydrias & pelves, un- gventorum odores & alabastrors, cunctaque auro lita & miro ornamento instructa cerneret, ut insolita nec sibi ante visa & admiraretur primum, & post irrideret.

Antiquiores Asiæ dominatus nunc nil moror, sed ex his omnibus tandem concludo, luxum in thermis immodi- cum quarundam quidem gentium inventum fuisse, ipsam ta- men lavandi consuetudine n tum ob delicias, tum ob sanita- tem maximè conservandam omnibus orbis gentibus, & anti- quis temporibus frequentem fuisse, & in hunc usque diem æstimata n vigere quam maximè. Quod ut evincam, ad vim argumentationis meæ plurimum interest; utpote qui præter rationes,

rationes, quas ex Medicorum scriptis habeo, hunc præcipuè consensum gentium evidenter ostendere putem, nihil esse balnei recto usu ad hominis tuendam valetudinem, vel convenientius, vel etiam magis necessarium.

Ad hanc verò lavationum antiquitatem ostendendam non multis repetam quæ tradunt auctores, idcirco calida balnea fuisse cognominata Herculea, quod Minerva olim fesso Herculi calida parasset lavacra, vel quod eidem Vulcanus muneris vice fervidam supposuerit. Nec urgeo quæ à Platone referuntur in Critia p. 562, Atlanticam olim insulam munere Neptuni tum alia varii generis delicia, etiam balnea habuisse omni cultu ornata, partim quidem sub divo patentia, partim verò sub tecto calentia lavacra hyberno tempore, atque seorsim alia regibus privata, alia viris, alia mulieribus, alia etiam equis ceterisque jumentis. Homerus nobis sufficiet, cujus scriptis sicut nullum inter Poëtas antiquius adferre possum testimonium, ita quam fuerit rituum omnium ferè memorià dignorum observantissimus, etiam in his rebus patet. Non moror quæ habet de lavatione Veneris Odyss. lib. 8. *ad Cyprum pervenit, ridens Venus in Paphum, ubi illi lucus araque ture odorata, hic autem ipsam Gratia lavarunt & unxerunt oleo immortali, ut Deos decet immortales, vestes autem induebant desiderabiles visu suspiciendas.* Potius referam quæ de Ulyssæ Iliados lib. 10. traduntur, unde patet hominibus, ut mundo corpore cænare possent, necessum fuisse, ut pulverem, & inter exercendum contractas sordes deponerent, exsiccatasq; Sole vel frigore rigentes corporis partes adtemperarent, istis præcipuè temporibus & locis, ubi magna ex parte corpora nuda ferebant; & lineorum pannorum, qui corpora à sorditie tuentur, usus, ut testantur auctores, vel non dum inventus aut saltem infrequens erat. *Ulysses, inquit Poëta, transfossam egit unungulos equos, cachinnans simul autem ceteri ibant*

bant gaudentes Achivi, hi verò cum ad Thytide tentorium be-  
 nè structum venerunt, equos quidem allegarunt scite sectis lo-  
 ris præsepe ad equinum, ubi Diomedis equi stabant veloces dul-  
 ce triticum edentes, navis autem in puppi exuvias cruentas  
 Dolonis posuit Ulysses, ut sacrum pararent Minervæ, ipsi autem  
 sudorem multum abluerunt, mare ingressi tibiasque & collum  
 circaque femora, sed postquam ipsis unda maris sudorem mul-  
 tum abluit à corpore, & refrigerati sunt sub dilecto corde, in  
 labra ingressi benè polita loti sunt, sicque loti & uncti pingvi  
 oleo jentaculo assidebant, exq; cratere Minervæ pleno hauriētes  
 libarunt dulce vinum. Præterea lotiones & unctiōnes ante ci-  
 bum fieri solitas probant quæ de Ulyssis filio à Nestore ho-  
 spitio excepto refert Poëta Odyss. lib. 3. Interea verò Thelema-  
 cum lavit pulchra Polycaste Nestoris minima natu filia Nelei filii  
 porro postquam lavit & unxit pingvi oleo circa ipsum autem  
 indusium pulchrum jecit atque tunicam è lavacro exiit corpore  
 immortalibus similis apud Nestorem verò profectus resedit pasto-  
 rem populorum, hi verò (filii) postquam assarunt carnes exte-  
 riores & detraxerunt epulabantur sedentes, deinde viri for-  
 tes surgebant vinum infundentes in aureis poculis, ceterum  
 postquam potus & cibi desiderium amoverunt inter illos ser-  
 monem cæpit Gerenius eques Nestor, & quæ sequuntur. Quæ  
 de Ulyssis lavatione frigida Odyss. lib. 6 habentur, quoniam  
 paulò longiora sunt, hîc ut pagellis parcam, non adscribo, &  
 ut taceam lavationes ad universi corporis elegantiam deco-  
 rationemque, ad ipsos etiam animi morbos, ut ita dicam, eas-  
 dem valere, diluendasque curas moestitiamq; docet Poëta Od.  
 lib. 8. ipsum scilicet Ulysses è vestigio ancilla lavari jussit in  
 lavacrum ubi conscendisset ille verò libenter vidit animo calida  
 lavacra quoniam neutiquam curatusque frequentarat ex quo  
 reliquit domum Calypsus pulchricoma. Interea ei cura tanquam  
 Deo perpetua fuerat, hunc postquam ancilla lavarunt & unxe-  
 runt

vunt oleo circa ipsum Chlenam pulchram jecerunt atq; tunicam, ex labro egressus ad viros vini potatores ibat; Nausica autem a Diis pulchritudinem habens & quæ sequuntur. Item lavationem Ulyssis describens, cum esset in domo Circes: Ceterum postquam efferbuit aqua in splendido abeno, in labrum me collocatum lavit ex tripode magno, suaviter fusa aqua per caput & humeros, ut mihi laborem animum rodentem demeret membris, porro postea lavit & unxit pingvi oleo chlenam mihi pulchram circuminduit atque tunicam, collocavit autem me introductum ad thronum argenteum pulchrum fabrefactum, scabellum autem sub pedibus erat, aquam autem ancilla guturnio infundebat ferens pulchro aurato super argenteo lebete ad lavandum, juxta autem politam extendit mensam, & quæ sequuntur. Præterea etiam foeminas primis istis temporibus ad viros lavandos adhibitas fuisse, sicut & hodie nostris moribus hoc non indecorum habetur; licet illud in Græcia vel in Italia in desuetudinem postea propter frequentiore, credo, in istis regionibus mulierum procacitatem abierit, docemur ex Odyssi: lib: 19. ubi Penelope famulas offert Ulyssi non dum recognito, ut lavarent & ungerent, sed respondet prudens Ulysses: neq; mihi pelvis pedum danabilis in animo est, neque mulier pedem tanget nostrum harum, quæ in domo ministrae sunt, nisi aliqua vetula est antiqua prudentia sciens, quæ toleravit tot mente quot ego, hanc non invideo tangere pedes meos. Deniq; non privatis vel quibusdam saltem lavationes in usu fuisse, sed maximè com nunes vulgoq; receptissimas, patet ex lib. 8. ubi Alcinous de gentis suæ moribus non pugiles, inquit, sumus inculpati, neq; luctatores, sed pedibus celeriter possumus currere, & navibus optimi sumus: semper autem nobis conviviumque gratum, citaraque, chorique, vestesque mutatoria, lavacraque calida & subilia.

Ostensa sic antiquitate lavationum antequam easdem & in hunc diem plurimis orbis gentibus frequentes esse probe-  
tur, pauca quædam & præcipua Romanorum in balneis insti-  
tuta referam, quæque vel Baccius, vel qui eodem ferè tem-  
pore de eodem argumento scripsit Mercurialis, diffusius per-  
tractant, brevissime hic contraham: in eum præcipuè finem,  
ut, si quid à nostris moribus discrepans & diversum Benevo-  
lo Lectori occurrat, occasionem de illa re judicandi nancisca-  
tur.

Primò itaque loca balneum constituentia erant præci-  
puè Frigida lavatio, Frigidarium, Tepidarium, Sudatio calida  
& Calida lavatio. Inserviebāt autem Hypocaustum, Aquarium  
& Vasarium, quæ omnia loca, inquit Mercurialis, concame-  
rata & fornicum modo fabricata fuisse, cognoscere possunt  
qui Romanarum thermarum reliquias contemplari voluerint.

Ad Frigidam lavationem frigidaæ aquæ lavacra, quæ  
piscinæ & baptisteria nuncupabantur, pro natationis usu, tum  
ob æstatem, tum ob eos, qui frigidam lavationem omnitem-  
pore prosequerentur, ob valetudinem sive ob delicias; addit  
Baccius, ob exercitium, ut juvenes simul ad aquarum obeun-  
da pericula exercerentur; & pag. 455. adeo prævaluit frigida-  
rum usus, ut vix quidem aliis balneis uterentur; etiam Medi-  
cis id svadentibus; Galenus lib. X. Method. *Frigida lavatio to-  
tum corpus constringendo & constipando, vires durata cute fir-  
mat, non secus atque accidere solet calesti ferro, quod cum in  
frigidam mittitur, & refrigeratur & induratur.* Et Plin.  
lib. 29. c. 1. *Carmis Misiliensis medicus damnatis prioribus medi-  
cis ac balneis frigida lavari hybernis etiam algoribus persuasit;  
mersitque egros in lacus.* & Oribas. lib. 10. c. 20. *Sæpe numero  
à cœna cum agrè in somnum delabor propter æstum, in frigi-  
dam descendere consuevi, & mirabile est, quam jucundam no-  
ctem transigam.* Hunc verò frigida lavandi more n nostris

etiam

etiam aquilonaribus frequentem cum alii culpae soleant, adducam Nob: Ranzov. Producis Cimbriae testimonium, qui in consery. valetud. capite de Balneis scripsit: *Merentur laudem balnea subfrigida, quibus majores nostri uti consueverunt, in his membra non pedetentim, sed universum corpus submergendum esse volunt nonnulli medici, quod mihi etiam probatur, si modo corpus non est antea exercitatione aliqua calefactum.* & paullo post: *Quamvis frigida lotio repentina horrorem incutiat non levem, videaturque homo totus corrigescere, multa tamen & magna commoda adfert.* & paulò post: *Ego sanè hanc lotionem saepè adhibui posteaquam in Hieron. Cardani de aqua opusculum inciderem, & Celsi consilium de hac frigida lotionem penitus cognoscerem.*

Sed revertor ad Romanorum balnea, ubi Frigidarium seu Apodyterium exstructum erat, ut è Tepidario & Calidario egressi frigido aere frui possent, secundum Mercurialem. Hic loturi exuebantur, unde & nomen accepit, eratq; hæc pars in publicis balneis admodum vasta & cuivis pervia; unde Capfarii conducebantur, ut vestimenta lavandorum à furibus conservarent. De hoc loco Baccius: *Erat prima & nobilissima thermarum pars figura in quadrum oblonga ac hemicyclis quaqua facie distinctum, unde sapienter hæc pars proposita est pro prima porticu ecclesie à Michaële Angelo Bonaroto, & quæ sequuntur.*

Tepidarium annexum erat Frigidario, secundum Mercurialem, quanquam hoc cum Apodyterio seu Spoliatorio unum facit Baccius, quod utrumque obtigisse, nec uno eodemque modo semper exstructa fuisse hæc loca crediderim; hic exeuntes de frigido seu calido loco tam diu morabantur, quousque ad alterum eorum citra noxam recipiendam sese disposuissent. Calidarium seu sudatio calida à Celso Laconicum dicitur; cella erat nullam aquam intra se continens, ad



provocandum sudorem potissimum instituta, de quo Baccius: *Hic vapores mixti hemisphaerium Laconici petentes sub curvatura concamerati hujus ac rotundi loci, in tenuissimas convertebantur aspergines, quae imbrium modo super capita eorum, qui morabantur in Laconico, depluebant.* Hunc tamen locum Celsus minus amoenum descripsit, dum assas sudationes dixit, & siccum calorem aedificio hinc inclusum exsiccare corpora; & Seneca, elixari ac exanimari corpora dixit.

Calida lavatio seu cella calida labris aquae continendae positae referta, erat primaria balnei pars, & teste Baccio, duplex magnitudine ad caeteras cameras, lumen superius recipiens; hinc Statius: *Multus ubiq; dies radiis ubi culmina totis perforat Sol.* Et in Laurentinae villae descriptione Plinius ep. 17. l. 2. piscinam nominat, ex qua natantes mare prospiciant, & Seneca loc. cit. *nunc totius diei solem fenestris amplissimis recipiunt, ubi ex solio agros & maria prospiciant.* Hoc loco vasa, quibus lavabantur, alia erant immobilia, ex lateribus vel marmore, adeoque magna, ut etiam in ipsis aliquo pacto natate concederetur, quae vero moveri poterant, in privatis balneis ut plurimum erant quadrata, oblonga, rotundiuscula, ovali figura ex lapide, marmore, aere, ligno, quibus aqua varie temperata inerat seu continebatur, ut Seneca inquit ep. 86. *Hoc quoque Aediles fungebantur officio, ut intrarent ea loca quae populum receptabant, exigentque munditias & utilem ac salubrem temperaturam.* Et antiquos quidem mollibus ac moderatè calidis balneis usos fuisse referunt, post tamen calidissimas etiam in pretio fuisse constat, hinc Statius: *Ubi alio Sol improbus uritur aestu.* Hinc etiam Seneca calorem dixit, incendio similem, nec quidquam interesse, ardeat balneum an caleat, adeo quidem ut convictum in aliquo scelere servum vivum lavare oporteat.

Sequitur Hypocaustum, in quo describendo ero prolixior, si quid fortè in Romanorum institutis occurrere possit, quod ad nostrum

nostrum balnea calefaciendi modum aliquam emēdationem afferret. Est autem Hypocaustum minimè cum Laconico confundendum : nam fornax erat seu caminata structura subterranea Calidario, calidæ lavationi atq; Vasario supposita, in qua ad calefaciendum tum aquam tum prædicta loca ignis succēdebatur, & ne exstingveretur, à servis frequenter cum pilis & glomis pice illitis excitabatur. Hinc Statius in Baln. Etrusc:

*crepantis,*

*Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat  
 Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.*

Et Ausonius in Mosella sic expressit:

*Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant  
 Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto  
 Volvit anhelatas tectoria per cava flammæ,  
 Inclusum glomerans astu exspirante vaporem.*

Et Plutarchus in Sympos: l. 3. probl. x. narrat; ædiles cavisse ne ignis balnearum ex olea succenderetur, neque in eum conijceretur lolium, quod horum nidores gravedinem capitis & & vertigines lavantibus invehant. Et de Græcis balneis Zvirgerus, in iis tantam plerumque hominum cujusq; ordinis turbam convolasse, ut balneatores pertasi æris, granum, quod vertigines facit carbonibus injicerent ut tædio odoris exirent.

Et ex Senecæ ep. 90. tempestate sua inventos esse parietibus impressos tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foveret equaliter, hinc Statius: *Strupet ipse beatas Circumplexus opes & parcus imperat ignis.* & Baccius: *vestigium antiquum tubulorum ejusmodi parietibus impressorum visitur in sacrario S. Helena, qui sub opere tectorio quadrata forma 4 digitorum latitudine ac triplici conjuncti ordine ab imo hypocausto calores in supernas adium partes deferre debebant, ex quibus mirum artificium illius seculi in fovendis ædibus intelligitur, ac mira in omni vitæ cultu diversitas à nostris usibus.*

Et paulò post quasi indignatur desuisse illum morem, *nos hodie inquit, onusti vestibus & quasi compedibus braccati ad cineres cubamus totos dies, unde otio & strictura vestium torpescimus, fumo oculis ledimur, mente ac omnibus sensoris langvescimus.* Sed & notanda videntur, quæ addit paulò post: *Unum tamen damnatum adferre potuerunt illis temporibus, illa hypocaustorum per quasque adium partes frequentia quod crebra ac tam vasta inducebant incendia.* & lib. 4. cap. 4. *Vapores igniculi à communi quodam subjectoque hypocausto usque quaq; perducere consueverunt, per exiguos tubos fictiles ad omnes adium partes etiam sub via & sub xistis ac viridariis ad principales aedes, nec aliam ob causam credo tam crebra & tam vasta apud illos antiquos accidisse incendia, nisi ex fomite (fuligine aliqua oppletis tubis) vaporeq; adeo continuo familiariq; per omnes aedes, quale sub Tito Romæ accidit, cum urbis tertia pars igne consumeretur.*

Aquarium cella erat calidæ lavationi atq; calidario annexa, in qua alveus magnus ædificatus erat, ad continendam aquam ex aquæductibus & aliunde inductam atq; in frigidam lavationem & calidam per fistulas corrivandam, de quibus Baccius lib. 7. c. 9. *Occulti canales erant, vel fistula intra parietes occulta, que in cameras balnearum, ubi opportunis locis essent epistomia, infundebant aquas, ut recens semper veluti ex fonte per cameras transcurreret;* de quibus eleganter ut Poetam decet, Statius in lib. 1. Sylv:

*argento felix propellitur unda,  
Argentoque cadit labrisque nitentibus instat  
Delicias mirata suas, & abire recusat.*

Vasarium non longè ab hac situm, ubi vasa conservabantur balnearum servitiis necessaria, & ubi aqua pro ipsis calefiebat, de quo Vitruvius lib. 5. c. 10, *Ahenea vasa super hypocaustum tria composita fuisse, unum Calidarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium, & ita collocata, uti ex Tepidario*

*pidario in Calidarium quantum aqua calida exiisset, influeret, de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum. Unde inquit Baccius lib. 7. c. 9, planum fit artificium, quomodo ad communem usum & que innumerabili populo sufficeret tanta aquarum copia calefieret, & ex vasis suppeditaretur in balneas. In quem finem Senecam citat, qui ad Lucilium epist. asserit, constructui solitum in ipsis milliariis (erant aenea vel plumbea vasa maximi aheni instar) dracones, qui erant fistulata vasa tubæ instar, ære tenui, per declive milliario circumdata, ut aqua dum ad os draconis conglomerati specie pluries eundem ignem ambiret, per tantum flueret spatii, quantum in acquirendo calori satis esset. De tempore lavandi ex Cassiodoro refert Mercurialis, ante tempora Severi nunquam thermas fuisse ante auroram apertas, & semper claudi consuevisse ante occasum Solis, ipsumque Imperatorem publicarum thermarum luminibus oleum addidisse, quo & in nocte paterent. De hisce lychnis sic Baccius c. 12. lib. 7, *Pro lavationibus nocturnis lychni aeni in thermis pensiles erant Græcorum more, angulorum & luminum unius, duorum, trium, plurium.* Veteres autem, ut Seneca refert epist. 86, quotidie brachia & crura abluabant, toti undinis solum lavabantur, post cœperunt singulis diebus toto corpore lavari, idq; paulò ante quam cibus sumeretur, unde etiam, ut hoc addam, in stratis dum cœnarent, accumbendi consuetudo introducta fuit: maximè verò lavandi tempus à meridiano ad vesperam constitutum fuit, propterea quod cum semel duntaxat in die saturarentur majores, nullum tempus hoc ipso oportunius habebatur, quod circa octavam diei horam paulò ante cœnam erat; Nam communiter vir Romanus, inquit Baccius loc. cit. *impransus aut jentaculo primo manè reffectus postquam bonam diei partem impendisset negotiis, mox à meridie exercitiis & balneo utebatur, à balneo cœnabat opipare: Ut plurimum itaque prius exercebantur, dein balneum ingrediebantur,**

diebantur. Fuere autem exercitationum varia genera, quibus præpararentur ad balnea. Plautus in Bacchide de palæstris: *Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant.* Etiam equi cursu vel agitato, præcipuè verò post parvæ pilæ lusum calidis balneis lavari solitos scribit Galenus in Tract. de parv. pilæ lusu. Alii ambulatione duntaxat ante balneum contenti erant, alii clara lectione vel disputatione in hemicyclis, vel declamatione oratoria, vel cantu musico; hunc itaq; tenorem ferè observatum fuisse patet. Primum legitur exercitium, deinde balneum, ubi frictio fiebat & deterfio, mox statim frigida lavatio, postea unctio, hinc cibus & potus, ultimò somnus; & Celsus lib. 1. c. 4. *Sub veste primum paululum in Tepidario sudare solebant, tum transire ad Calidarium seu Læconicum, ubi sudabatur largius, tum aut in calidam descendere aut in tepidam, deinde in frigidam.* Et Galenus lib. X. meth: *primum, inquit, ingredienti in aëre versantur calido, hinc in aquam calidam descendunt, ab hac mox in frigidam ibant, & tandem sudores detergebant & ungebantur.*

Cum itaque qui balneas ingrediebantur publicas quadrantem solummodo balneatori darent, idq; commune pretium esset, ut taceam, sæpè Principes balneum sine mercede populo constituisse; eos etiam, ut probat Mercurialis, qui ante XIV annum erant, nihil solvisse, non mirum est cum ita viii pretio lavare liceret, nullum hominum genus à publico balneo abstinuisse, sed pueri, juvenes, viri, senes decrepiti, nobiles & ignobiles lavabantur, & ut Baccius l. 7. c. 2. *tam senes quam consulares atque amplissimi ordinis viri, nec non artifices & matrone.* Sed præ cæteris Mercurialis l. 1. c. 10. *Cytharedos, Præcones, Tragædos, Phonschos, Comædos frequentare balnea solitos* refert ex Galeno lib. 3. de comp. med: *quod vocem ablesam & assiduis clamoribus exasperatam aquarum dulcium humectatione curabant integramque servabant.* Nec foemina-

rum tamen lavationes una cum viris semper & ubique promiscuas fuisse credendum est, nam viris eas ingredi ob salubritatem vetitum fuisse interdum constat, sed conjuncta tamen in balneis bina ædificia fuerunt, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur, & ut ex Gellii lib. X. cap. 3. habet Mercurialis, *pudor non patiebatur utrumque sexum simul lavari, sed commoditas conjungi desiderabat.* Sic Hadrianum principem viros discretos à foeminis lavari voluisse, & Marcum Antoninum balnea promiscua sustulisse, eademq; ab Heliogabalo renovata Alexandrum Severum prohibuisse refert Baccius lib. 7. cap. 4. citatque legem censoriam, ut à promiscuis abstinerent balneis, nec mulieres commune lavacrum cum viris libidinis causa intrarent, repudiï & dotis amissionis periculo, & paulò post: *Vir qui thermas mulieribus discretas violenter intrare presumpsisset, capite punietur.*

Sed quæ prolixius de Romanorum in thermis gymnasiisque institutis & consuetudine, ex veterum scriptis curiose collegerunt, quos citavi sæpius, Baccius & Mercurialis, hic prætereo & omitto, transeamque ad reliqua quæ habeo dicenda, ubi paucis tantum constrinæ ac oleariæ cellæ mentionem fecero: servabantur autem his locis & odores ad oportunos usus, & præterea barbæ & capillorum cultui vacabant, eratque secundum Baccium hæc pars una ex maximè necessariis, & Mercurialis: qui vel loturi & sese exercitaturi in gymnasium veniebant, majori ex parte spoliabantur in apodyterio, postea horum nonnulli alipterium ingredienti ungebantur, & postquam sese quantum libuerat exercuissent, ibidem strigilibus detergebantur. Erant autem, quibus strigmenta & sordes à corporibus radebantur, strigiles ferrei, vel aurei, vel argentei, vel cornei, vel eburnei, vel ænei, & præter hos balnearum strigiles plerumque etiam spongiæ erant, vel linei, & qualem quisque propriam secum gerebat, præsertim quicun-

que communia cum aliis instrumenta habere fugiebat. Nonnunquam etiam cum inuncti balnea ingressi fuerant, post egressi denuo ungebantur ut plurimum oleo modò simplici, vel oleo cum aqua mixto, ita enim magis lassitudinem tollere putabant, vel oleo variis odoribus condito, Nardino, Jasinino & aliis, quæ apud Galenum recensentur. Ut varia ungentorum odoribus conditorum genera soli lasciviæ & libidini inservientia præteream, & Baccius *Nihil erat communius, inquit, quam ut quisq; lotus simplicis saltem olei unctioe uteretur, tum ut sudores inhiheret, tum ut ab æris injuriis sese vindicaret;* quæ confirmat Mercurialis, dum ungi solitos asserit, ne venti corpora aperta ingrederentur: neve sudore diffluerent; & ex Hippocrate citat, athletas perungi consuevisse, ut membra emollita labores sine rupturæ ullius periculo sustinerent. Et paulò post: *Quæ post balnea adhibebantur unctioes, nemo dubitat inservisse, ne humiditas in balneis acquisita evanesceret, neve reseratis à balnei calore meatibus nativa caliditas exspiraret.* Hunc autem sese inungendi modum quanquam Plinius lib. 15. c. 4. Græcorum inventum appellare videatur, dum *Græcos vitiorum omnium genitores, oleum primum in gymnasia invexisse* dicit, & Anacharsis Scythæ suæ gentis moribus insolitum ostendisse videtur, cum illud *insanæ pharmacum* appellaret, quoniam eo peruncti athletæ insanirent; hunc tamen morem apud alias gentes etiam viguisse vel illud probat, quod idem Plinius lib. 2. c. 41. testatur apud barbaras nationes pro ungendis corporibus butyrum vel, ut appellat spumam lactis in usum fuisse. Et Galenus asserit c. 14. lib. 3. de Alim: Fac: *quod homines in plerisque frigidis regionibus, in quibus oleo carent, in balneo butyro utantur.* Denique quod fricationes attinet, quæ ad majorem unctiois penetrationem, vel etiam absque unctioibus fieri solebant, de eo nihil certo definitum invenire sese scribit Mercurialis. Sed & hunc

huic morem, ut & pleraq; alia antea recensita, & frequenter in Romanorum thermis adhiberi solita, nec tamen ab iis propterea primum inventa fuisse, patet ex Celso lib. 2. cap. 14. *De frictione multa Asclepiades tanquam inventor ejus posuit in eo volumine, quod Communium Auxiliorum inscripsit: oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quæ vel repererunt, vel rectè sequuti sunt, & tamen ea quæ apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere; neque dubitari potest, quin latius quidem & dilucidius, ubi & quomodo frictione utendum esset, Asclepiades præceperit; nihil tamen reperit, quod non à vetustissimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehensum sit: qui dixit, frictione, si vehemens sit, durari corpus: si lenis, molliri: si multa, minui: si modica, impleri.* Et hæc quidem de Romanorum lavandi moribus hæctenus, quibus melius intelligendis lavacri Romani formam è Mercuriale lib: 1. c. 10. delumtam seu adumbratam potius & sicuti reliqua hujus dissertationis extremis suis saltem lineamentis descriptam sagaci lectori, ad illa melius intelligenda quæ ante dicta sunt, in calce hujus dissertationis offero.

Sed relictis Romanis, ad alias jam orbis gentes transiens pauca quædam & breviter referam, & quidem de Turcis primò, ad quos sicuti fatiis volentibus potentissimum in Asia Romanorum imperium devolutum fuit, ita non dubitandum est, quin apud eosdem plurima etiam in his rebus vestigia reperiantur, quod & luculenter confirmant, qui de horum consuetudinibus institutisque scripserunt auctores, ex quibus patet, insolentissimam licet nostris moribus gentem, lavationis tamen in conservanda valetudine corporis usum non minus ac nos agnovisse. Idq; non viri solummodo sed & foeminae quam maximè, quibus optimè convenit quod de suis Martialis olim dixit, dum *Romana fæmineis dilecta catervis balnea* adpellat. De his autem Arvevillius itiner. Turc. c. 21. quæ



contractiora hîc dabo: *Constantinoboli ut & in aliis Muham-  
medicis urbibus & provinciis, tam in Grecia, quam Asia &  
Africa, magnus reperitur thermarum magnificarum numerus,  
passimque columnis tabulisque præclarè ornata, soloque ex va-  
rii coloris marmoreis crustis artificiose strato, non privatim  
modò in Seraglio, sed & publicè visuntur.* Et, quæ illustran-  
dis suprædictis inservire puto, sic constructæ sunt hæ thermæ,  
ut duobus præcipuè ædificiis constent, rotundis & dimidiæ  
sphæræ instar, fornicato tecto superne clausis; ubi primum  
locum intraveris, in uno angulorum observabis fornacem  
more Germanorum ædificatam, ad lintea calefacienda ve-  
stesq; siccandas lavantium, tum in medio cameræ fontis sca-  
tebra marmore constructa adest, & præterea disposita sedilia  
aulæis cooperta Turcicis, ubi loturi deponant à capsariis ser-  
vandas vestes suas, quas adituri balneas quam pretiosissimas  
ornatissimasque induunt. Sic nudi linteo tamen cæruleo sub-  
ligati sudarium intrant, ut sudent, unde postea egressis aperit-  
tur balneum, estq; locus priori altior & spatiosior, superne lu-  
men plenum rotundis fenestris admittens: Hîc etiam scaturigo  
similis priori aquam plurimam abunde profundens; adstat  
marmorea oblonga mensa, cui postquam in labro quodam è  
marmore vel porphyrite satis te lavasti, adstantes balnearii  
servi pronum te imponunt, tum artus omnes variè extendē-  
do flectendoque, postea etiam superadstans Turca membra  
fricando palpandoque tetum corpus percurrit. Et sic ad ca-  
meram quandam exilem, sed quantum opus est, calefactam  
deducit, ubi de novo panno quodam duriori manui chiro-  
thecæ instar induto corpus perfricat, abluitque calida frigida-  
que diversis profluente fistulis inter se temperata, aneoque  
vasè damascenato superfusa. Tandem & pedes pumice pur-  
gat, crines radit novaculâ, & ubi novacula minus commodè  
adhibetur, unguento quodam psylothro istis regionibus utriq;  
sexu

sexui usitatissimo, Rufina dicto, depilat; quibus peractis ad vestes reassumendas corpusque exsiccandum redis primum in locum, solutoq; capsariis pretio discedere licet. Et hæ quidem thermæ cujuscunque generis vel religionis hominibus, sed præcipuè Turcis, Mauris, Apostatis frequentissime patent. Sicuti & fœminarum balnea (diversa à viris, nec temerè ab iisdem intranda) non minori frequentia adeuntur: cum semel in septimana lavare omnibus sit receptum, ter vel quater etiam plerisque non insolitum, ubi vel à mulieribus ad id constitutis lavantur, vel hanc sibi invicem mutuam operam præstant. *Videre licet*, inquit Arvevillius lib. 22. *fœminas Turcicas Græcasque X sæpè vel XII ad thermas tendentes, occultato, ut solent, vultu incedentes, & secum aenea quædam vasa deferentes, quibus & insideant in balneo, & ubi domum redeant lintea, & quæ alia secum ferunt, includant, sequentiq; à tergo vetula ancilla capite gestanda tradunt.* Ex hac itaque consuetudine familiari, in balneis scilicet: invicem lavandi abluendique præcipuè oritur, inquit auctor, illa, quam nos miramur in orientalibus fœminis concordia & dilectio; adeo etiam, ut teste Busbequio, non minori inter se interdum amore succédantur, quam apud nos adolescentum animos virginei vultus commovere solent. Itaq; non mirum diligenter frequentari thermas ab hisce hominibus, cum tot sint quæ invitent, mundities, sanitas, superstitionis libertas, denique & voluptas; quantâ enim cum cura fœminas viri custodiant, ut ne fenestras quidem illis publicas spectantes vias relinquunt, refert Busbequius: & superstitionem probant quæ apud Zwingerum relata reperi: *Turcæ triplici lotionem ad orationem sese preparant, prima Zeoargimeg vocatur, estque perfusio totius corporis: altera Cachriat dicitur, quæ illis necessaria est cum vel alvum deponunt, vel flatus erumpunt, tertia Abdas dicitur quinque sensuum organis dicata.* welcke wtwendighe was-

*siège*, Arvevillius inquit, *dese plompe beesten in grooter weerden houden, om de inwendige wassiège vander ziele ende conscientie sich weinig bekomrende.* & Busbequius: *Summa apud Turcas mundities, sterquilinea & alia purgamenta defodiunt, aut à conspectu amovent, sordesque instar piaculi averfantur, magis etiam quam animi impuritatem.*

Ex quibus concludo, lavandi consuetudinem hîc non tam ex imitatione Romanorum introductam, postquam eorum civitates occupassent; sed & longè antea ex veteri more, primisque Saracenicæ superstitionis institutoribus obtinuisse, vel naturali potius, quo omnes homines ad hoc feruntur, instinctui, sui veram debere originem crediderim.

In Algerii descriptione auctor anonymus refert balnea ibidem plurima esse, sed duo structuræ magnificæ, majus Afanbassæ, alterum Mahomedis opus, utrumq; marmore stratis cubiculis (credo ubi loti per unam vel alteram horam cubent pro leni sudatione, vid. Langii epist: med: lib: 1. ep. 50,) instructum, quo aqua etiam tum calida tum frigida per tubos diversos defluit. Et Tuneti idem scribit balnea majora quatuor, minora CLVI reperiri.

De Persarum veterum consuetudine supra habuimus: & hodiernos etiam eorum mores, quoniam à Turcarum tum religione tum institutis aliis parum absunt, eos a balneorum itidem usu minimè abhorreere putandum est: Struifius in itin: Persico testatur: *Mijn Meester, niet tegenstaande hy een Prince was, soo bestondt echter sijn grootste, en meeste inkomen wyt het houden van Badstoven, waar van hy drie had; een in Derbent, een in Scamachy; en een in Ispahan: dese kosten hem den eene dagh door den ander, yder ten minsten 10 Rijexdaalders opbrengen.* & paullo post: *De Badstoven hebben werk van 't krieken van den dagh, tot aan der Sonnen ondergang. Van 's morgens tot 's middaaghs is het der Mannen, en daar na der Vrouwen beurt.*

Quod

Quod Ruthenos attinet: *In urbe Moscua*, inquit Struis, *tum aliis locis circumjacentibus plurima sunt balnea, tum privata tum publica utrique sexui communia, ubi nudi & promiscue ingrediuntur, vel obtekti frondium fasciculo, quo calida aqua macerato membra postmodum confricant; precipue cum super sudatorio scamno cubant, ubi quantocunque calore sese assaverint, non tamen cunctanter sese frigida immergunt, sed nudi extra balneum procurstantes, nec oculos exterorum mirantium, nec aëris injuriam morantur.* Et paulò post: *Balneatores Germani Moscuam incolentes, & aquam quâ lavant herbis floribusque odoratis inficiunt, ministrisque ancillis utuntur, & è balneo exeuntes lecto excipiunt, ubi sudent ulterius, tum hydromele refectis cibos offerunt.* Et qui nuper scripsit, Klenkius itin: Mosc: *plurima Moscua balnea sunt tum virorum, tum fœminarum, interposito pariete, secreta ab invicem.*

Ad vicinos transeo, in quibus ero eo brevior, quo magis est supervacaneum in re vulgo notissima describenda immorari. Balnea verò in hisce terris & olim frequentia fuisse, & utrique sexui communia refert Honorius. Taceo nuptialium balnearum ritus, quos Olaus Magnus refert, qui etiam de Oelandis, Alandis, Gothlandis memorat, eos mari frequenter lavari solitos, hinc natatores fuisse & urinatores egregios. De Fennis refert Nob: Vexionius in descr: Svec: obstetrices Fennicas infantes recens natos calidissimo balneo inferre, ibique editiori loco virgis frondiferis cedere, donec cutis rubescat, eodemque modo puerperas tractari; omnes denique Fennos balneis frequentissime uti, ac inde exsiliantes vel intensissimo frigore aquas nive mixtas è rivo aut mari haustas nudo corpori alacres & ridente vultu superfundere.

Sed mitto notissima & transeo ad exteros. Germanos olim infantes Rheno lavasse refert Tacitus; sine dubio quod ad corporis valetudinem id expedire crederent, quod etiam  
de

de Britannis memorat Cæsar; unde Virgilius cecinit:

*Natos ad flumina primum*

*Deferimus, sevoque gelu duramus & undis.* Et

& Tacitus: *Germani rarò balneis calidis, fluminibus sæpissime lavabant* (calidam ex eo forsan negligebant, quod nimio calentium aquarum usu relanguescere corpora crederent, quod & innuit princeps medicorum Hippocrates aph: 16. sect: 5. *Calidum, inquit, ubi quis sæpius eoutatur hæc mala adfert: carni-um effoeminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem:)* *Germani verò si lavarent balneis, calida abluebantur, lotique vescebantur.* De hodiernis verò moribus nemini non notum est, quantâ Germanis frequentia balnea celebrentur; nisi forsan maritimos quosdam Germaniæ inferioris tractus excipiam, aquâ purâ lignisque ad focum necessariis minus abundantibus; de hisce verò Germanorum balneis nimis superciliose Baccius: *quidam, inquit, ex Germania Scriptores prostant, qui suas Stuphas* (sic forsan dictas, quod stipata conclavia essent) *in locum thermarum substituere ausi fuerunt. Verùm (ut Poëta dixit) Sic canibus catulos similes, sic maximis minima.* Et paulo post: *Sunt autem Stupha istæ publicæ vel mercenariæ potius tonstrinae modo, ubi lavantur & sudant, suntque promiscuæ omnibus, tam agris, contagiosis, quam sanis, ex quo promiscuo concursu, præsertim quando morbi grassantur contagiosi, aut posteaquam venerea lues adeo invaluit, non potest non periculum maxime imminere, præcipuè deterfis non benè ligneis parietibus, & præterea ubi rarior est fontana aqua, perpetuoque recens & clara, sæpius putealis quæ cruda esse solet & cutem exasperat.* Et rursus Baccius: *Stupha ipsæ insuper angustæ & tenebricosæ omni commoditate carentes, & omni delicia, adeoque noxiæ multis & invisæ potius quam grata ac utiles.* & paulò post addit: *hic cornua quadam scabiosis applicantur ad trahendum è cute sanguinem, & paulò post: fustigandi essent*

essent Stupharioli isti, qui pro sua avaritia, & ut plures recipiant obulos, tot sæpè adplicant cornicula, ut misellos exsangves sibi ad pedes cadere videant. Et lib: 2. in Germanorum mores rursus invehens, plane quasi Germanica corpora non pro tolerantia propria, sed prout visum fuerit homini Italo lavari deberent: *In Germania, inquit, cubant in balneo diutius, quod Plinius tamen damnat, imò sunt, qui accommodata in balneo ipso mensa opipare cum sodalitiis bibere soleant, epulari, ludere tota die, additque antiquum hoc esse huic regioni, & Carolum Magnum, qui Aquisgrani thermas diutissime frequentavit, consuevisse omnis generis homines secum in balneum ducere, ibiq; allatâ aliqua confabulandi materiâ, longam moram trahere.*

Sed præterquam quod de hoc Imperatore laudatissimo Æginardus, quem Zwingerus citat, honorificè magis scribat; *Carolus Magnus animi laxandi causa calidis balneis delectabatur, iisque utebatur sæpius, crebroque natatu se exercebat, cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei justè præferri potuerit, unde & ad Aquas graneas regiam exstruxit, ibique extremis vite annis usque ad obitum continuè habitavit.* Ipse etiam Baccius noster, dum lib: 7. c. 18. modum præscribit, ad quem Germanorum lavandi ritus emendari vult, nihil quidquam adfert, quam quod & notum vulgo sit, & usu receptissimum. *Nos itaq; inquit, deliciosis illis Romanorum Sudatoriis destituti, primùm his, quibus sudare opus fuerit, exercitium injungemus (h. e. ut interpretor, consveta cuique negotia exercitii genus sunt commodissimum) postea in tinam calidam, calido item & stipato cubiculo demitemus, exinde in lectum proximum benè constratum & calefactum ducemus, ubi & largè sudare detergo interim madore, aut etiam dormire, ut copiosius sudet jubebimus. Cum verò is in naturalem habitum rediisse visus sit, in solium frigidum mittemus, vel multa frigida perfundemus,*

D

vel

vel tepida si horruerit primo frigidam. Hinc mollibus linteis deterfus dulci oleo aut butyro, ubi olei copia non fit, leviter perungi poterit. Et ubi sic ad pristinam mediocritatem rediisse visus fuerit, coenet, & tum interposito ad minimum duarum horarum spatium ad somnum se convertat.

Verum missis tandem hisce, paucis, quæ restant, absolvam, vereor enim, ut Lectori benevolo prolixitate mea tædio sim, me certè evolvendi citandique labor jam dudum defatigavit. Eò itaque jam ero in adducendis Medicorum testimoniis brevior. quò magis est superfluum paucorum auctoritate ad ea persuadenda velle uti, quæ gentium consensu jam dudum ubique recepta sunt; vel rationem utendi ad certas præscriptiones regulasque medicas reducere, cum jam ante abunde descripta sit, sive ad corpora mundanda, sive emollienda, sive ad levandam lassitudinem, sive somnum conciliandum; sive etiam ob solam voluptatem balneis uti velimus. Vel denique in utilitatibus balneorum fastidiosa prolixitate describendis morari, quas Galenus brevissime complexus fuit, cum temperati balnei commoda recensens, *Balnea*, ait, *aperire poros, sudorem prolicere, sitim sedare, somnum provocare, mundare atque purgare cutim, sordemque omnem ex illa detergere, humectare corpus, adjuvare coctionem tertiam, corpus impinguare, gracilibus prodesse & claram vocem efficere.* lib. 3. art. cur. Unicum tamen discutiam, quod vulgi sermonibus adstipulantibus interdum Medicis quibusdam, usurpari solet, aquarum scilicet humidique frequentem usum catarrhos in humanis corporibus producere. Intelligunt autem per catarrhum Medici vulgusque non solummodo humoris lymphatici, postquam ejus vasa & consuetæ viæ fuerunt obstructæ, è capite in subiectas partes sensibilem delapsum, unde versiculus:

*Si fluit ad pectus dicatur Rheuma catarrhus.*

*Ad fauces Bronchus, ad nares esto Coryza.*

Sed & generaliter illis denotat omnem etiam alium, ut appellant fluxum ad partes solidas, ad articulos juncturasque membrorum e cerebro, tanquam pituitæ metropoli, per cœcas & occultas vias delatum. vid. Sennertus cap. de Catarrho. Equidem hunc morbum à veteribus nobis non fuisse satis accuratè descriptum, vel ex solo imposito nomine adparet, cum Græci Catarrhum &, quod idem denotat, Defluxionem Latini appellarint, quasi non omnis animalium vita in perenni ac non interrupta sanguinis humorumque defluxione ac motu consu-

steret? Sed quanti in omni medicina momenti sit Harveiana illa circulantis sanguinis demonstratio, vel quod non minorem meretur laudem, si sedulo intentèque ad eandem in rimandis naturæ phænomenis respiciatur, hoc quidem loco non operosius ostendam. Quod verò defluxionum harum originem humiditatem fecerint, puramque aquam inter morborum causas retulerint, ad illud quidem credendum illorum auctoritas me non adducet. Sicut enim extra omnem dubitationis aleam jam dudum à Medicis positum est, præternaturalem relaxationem & ut receptis formulis loquar, viscerum tonum vitiatum inde oriri, quod obstructions variæ in angustissimis tubulis, permeanti omnia spiritui circulantibusq; humoribus, obicem aliquando ponant, ita jam obsecro, quomodo aqua pura vel intus adsumta, vel adhibita exterius humiditate sua obstruere vel hæsitare alicubi posset, cujus tantæ sunt exilitatis particulæ, ut nullo adhuc microscopio detegi potuerint. Quæ enim nocumenta vel adjunctum aquæ frigus, insolitam introducendo contextui fibroso contremiscentiam, adferre posset, vel etiam coagulando gelatinosos humores, obstructions causare: illa non majori jure aquæ adscribuntur, quam ubi conjunctus interdum calor rarefactos nimium humores minus tenues in angustias solidarum partium deducit, ut ibidem hæsitantes elici vel excuti postmodum inde nequeant. Equidem libenter fateor in corporibus perfectissima sanitate non gaudentibus, qualia plurima pars hominum habemus, occultas morborum mineras & fermenta sopita per calidas lavationes excitari interdum, ut sentiantur vel manifestentur, thermasque adeo corporis integritatem & conservare & probare; quis autem inde inferre vellet, illa propterea culpari debere. Nam sicuti immedicabilia mala, non esse excitanda libenter agnosco; ita etiam, si quæ est aliarum intemperierum rationalis & verè medica cura, illam non sopiendo, sed alterando, non mali latentis sensum tollendo, sed malum illud ipsum vel digerendo, vel educendo, tentandam esse ab iis, quos sequor, accepi. Quantum verò faciant ad omnes ferè obstructions tollendas, adeoque morbos innumeros, qui suam iis originem debent, medendos, balnea vel inde patet, ut ad auctores citandos rursus regrediar, quod non aliam legamus fuisse Romæ medicinam DC annis, quam balnea, ut auctor est Plinius lib. 29. c. 21. & inspiciantur si placet quæ censuit loco cit. de Græcis Medicis Cato: Baccius certè asserit c. 13 l. 7. *quæ hodie grassantur frequentissime scabies, impetigines, lepra atque alia hujus modi, cutim*



deturpantia vitia, perrara antiquis fuisse, purgamentis id genus sanguinis, per balneas quotidie dissipatis.

Itaq; cum Hesiodo, nil aquâ melius mortalibus datum fuisse merito adferimus, in cuius veras laudes si me hic effundere vellem, quis foret orationi exitus? animalium certe conservandæ vitæ quidnam aliud dari potest accommodatius, quam id, quod à primo eorum exortu, per corpora fluere consuevit; nam quanquam in aere vivamus, ex aqua tamen progengeramur; & ut de prima origine mundi traditaq; nobis divinitus creationis historia nihil quidquam dicam, certè & in hunc diem omnes animalium foetus, intra suas matrices circumfuso innatantes colliquamento, quid aliud quam tepido quodam, & foventur & vegetantur balneo? Hinc etiam Ægyptios aquam olim ut Numen adorasse, eamque veluti sacram in populum conspergere solitos fuisse perhibetur. Romæ etiam aqua Mercurii dicta ante portam Latinam in populum conspersa, crimina abluere putabatur, qui locus, teste Baccio, ad tollendam superstitionem gentilium, rectè Sancto Johanni Baptistæ fuit postea dedicatus. Hinc balnea & olim Neptuno dicata, vel Naiadibus vel Nymphis, & postea Sanctis in eorum locum à Pontificiis furrogatis, Sanctæ Mariæ, Sanctæ Lucæ, Sanctæ Helenæ, Sancti Christophori, Sancti Georgii cognomina acceperunt, ut pluribus idem refert cap. 18. lib. 16. Sed abrumpo, ne dum immoderatus laudes aquæ limpidæ prosequor, mihi reponatur, quod olim Sophistæ cuidam Laco regeffit: cum enim Herculis encomium prolixis à se laudibus conscriptum recitare vellet, alter false respondit:

*Quis illum vituperat?*

